



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. De Prædestinatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

92. & alibi *hanc* quod non significat locum dano-
natorum, sed locum proprium beatæ Ecclesiæ, &
omnium electorum ad uitam æternam.

Hac generali explicatione, quæ plaus & scri-
pturæ consentanea est, contenti simus, nec curio-
speciem inquiramus, sed fide obtemperemus Deo
euocanti nos ex huius uitæ miserijs, & monitu
portum, in quo suauissimè acquiescimus & re-
quiescimus.

Cum autem animæ piorum uiuant, & scilicet
ta, cumq; uita & beatitudo in actione consistat,
certò nobis persuasum sit, Animas piorum a con-
tribus segregatas non ignauum otium agere, sed
conspicui & sermonibus Dei, ac letas Deo gratia
agere pro liberatione ex miserijs, & portu
consecutæ sunt, & pro tota Ecclesiâ ardentissimè
precari, ut Luc. 9. Moyses & Helias colloquuntur
cum Christo de ijs, quæ euentura erant.

III.

DE PRÆDESTINATIONE.

Paulus Rom. 9. disputans, quæ sit uera Ecclesiæ
Dei, & quomodo constituatur ac propagetur
na electione, uocatione, & uoce Euangelij per
ricordiam propter Filium, citat huius Capituli
stimonium. Rebecca, cum ex uno Isaac patre
gratia

grauida esset, nondum natis liberis, cum neq; boni quippiam fecissent, nec mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est, Maior seruiet Minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid igitur dicemus? Num in iusticia est apud Deum. Absit. Dicit enim Mosi, Miserebor cuiuscunq; miserebor. Non igitur est uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei.

Cum autem plurimum prosit explosis furoribus Stoicis mentes piorum recte de hac tota disputatione instrui, breuiter summam & precipua capita doctrine de electione, quam ex uerbo Dei, & preceptoribus meis, Philippo & Victorino didici, recitabo, ut pia, uera, simplex, Deo grata, & conscientie salutaris sententia & consolatio retineatur.

PRIMO discernatur uocabulum Electionis seu Predestinationis, à uicinis, ut Præscientia, Iustificatione, Dispositione, Scientia.

Electum aliàs significat sincerum, natium, non hypocriticum. Hic significat certo Dei consilio ordinatum ad uitam æternam.

Præscientia, προγνωσις, est actio mentis diuine, qua omnes res, bonas uel malas, presentes uel futuras cernit & prospicit.

Prouidentia, προνοια, simul complectitur præuisionem, & sustentationem & conseruationem nature à Deo condite.

c a Iustifi-

Iustificatio est applicatio Electionis ad hominem
adsentientem Euangelio, per quod eligit Deus
uitam eternam.

Dispositio est faciendorum.

Scientia, Omnium presentium, præteritorum
futurorum, bonorum, & malorum. Vide in Ma-
stro sententiarum lib. 1. dist. 35. 38. 40.

SECUNDO. Definitio sit in conceptu
Predestinatio seu Electio est actio Dei
qua ab æterno ex misericordia propria
Filium per prædicationem Euangelij
eligit ex genere humano Ecclesiam
atque ita singulos in fide perseverantes
quibus in omni æternitate suam sapi-
entiam, iusticiam, uitam, & læticiam
communicet, & à quibus uicissim cele-
bretur.

TERTIO. Quatuor sunt fontes, ex quibus
Electionis cognitio haurienda est.

1. Verbum diuinitus traditum per Prophetas
Apostolos, non humana sapientia. 1. Corint. 1. Ephes.
Deut. 30. Rom. 10.

2. Promissio Euangelij gratuita & uniuersalis

3. Iusticia dei seu equalitas erga omnes iuxta
mat, quam tradidit, DEVS enim non est iniquus
πλῆρης.

4. Veritas Dei, qui est & uoluntatem suam de Electione perspicuo uerbo & misso filio declarauit. Ioh. 6. Hæc est uoluntas æterni Patris, ut omnis qui uidet Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

QUARTO. Ex his quatuor fontibus firmissimè asseueramus. Eligi ad uitam æternam omnes, qui Euangelio credunt, & confugiunt ad Filium Mediatorem, et discedentes ex hac uita in fide perseverant.

Econtra reijci ac damnari omnes, qui aspernantur filium Mediatorem, & sine pœnitentia & fide ex hac uita discedunt.

Quod autem Electio quantum ad Dei uoluntatem in uerbo declaratam attinet, non sit particularis, sed omnes homines ad uitam æternam eligantur, & quod nemo fatali lege reijciatur, Sed singuli sibi ipsis causa sint æterni exitij, sequentia testimonia & argumenta demonstrant.

1. Iohan. 6. Hæc est uoluntas æterni Patris, ut omnis qui uidet Filium, & credit in eum, habeat uitam æternam.

2. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Item, Qui credit in filium Dei, habet uitam æternam. Qui uero non credit in Filium, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

3. Ioh. 6. Omnis qui audit & discit à Patre, non ad me, & uenientem ad me non eijciam foras.
4. Apocal. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.
5. Apocal. 2. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ.
6. Mandatum uniuersale est, quod præcipit ubi ri Filium, & credi Filio, Hunc audite. Osculamini Filium.
7. Promissio Euangelij est uniuersalis. Sicut merito pœnitentiæ omnes arguit. Conclufit scribere omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Ioh. 3. Rom. 3. 10. Act. 10.
8. Iusiurandum Dei, quo affirmat neminem se lege condemnari, sed unumquemq; sibi esse culpam æterni exitij. Ezech. 33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.
9. Iusticia Dei, id est, æqualitas erga omnes æquæ liter se habentes, iuxta normam quam proposuit. Omnis qui credit in Filium habet uitam æternam. Qui autem non credit, iam condemnatus est. Act. 13.
10. Non est προσωποληψία.
10. Idem est consilium Redemptionis & Electionis. Persoluit autem filius Dei sufficiens ὁλοκρῶτος pro omnibus hominibus sine ulla exceptione. Ioh. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ioh. 1. Et propiciatio pro peccatis totius mundi.
11. 1. Tim. 2. Deus uult omnes homines saluos fieri, & uiam

ri, vnus est Deus, & vnus Mediator Dei & hominum, Homo Iesus Christus, qui dedit semetipsum $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\tau$ pro omnibus.

1^a. Congruit etiam donatio Spiritus sancti & vite aeternae. Ideo enim Spiritus sanctus effunditur in pios, ut corda eorum cum Deo copulet, & initia vite aeternae in eis accendat.

Iohelis 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & omnis qui inuocauerit nomen Domini, alius erit.

QVINTO. Causa Electionis προκρυξις, $\alpha\lambda\lambda\eta$ est sola misericordia & bonitas Dei, qua motus est, ut suam sapientiam, uirtutem, & beatitudinem Angelis & hominibus electis liberali pectore uellet communicare. Rom. 9. Non est uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei.

προκαταρξις seu Impulsiva exterior est non meritum nostrum, sed filius Dei, qui sua intercessione & obedientia Ecclesiae aeternam foelicitatem impetrauit, ut Ephes. 1. dicitur. Elegit nos in Christo antequam iacerentur fundamenta mundi. Item, Dilexit nos in dilecto. Item Ioh. 1. Ex plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, id est, diligimur a Deo, & recipimur in gratiam propter Dominum nostrum Iesum Christum, qui est in gratia aeterni Patris.

Constanter igitur reijciantur furores eorum,
c 4 qui

qui fingunt nostra opera seu merita esse causas predestinationis impulsivas.

Nam honor soli Deo, et filio Dei domino nostro Iesu Christo conueniens, non est nostris operibus tribuendus.

Sunt autem bona opera cause finales Electionis, ut Ephes. 2. scribitur, In CHRISTO sumus creati ad bona opera, quae Deus preparauit, ut in eis ambulemus.

SEXTO. Cum dictum sit, Eos esse electos ad uitam aeternam, qui fide amplectuntur Christum Mediatorem, & in hac uita ad extremum perseverant, obijciunt mentes, Nec fidem qua apprehenditur Electio, Nec perseverantiam, quae retinetur, in nostra potestate esse. Quare de causis fidei, & perseverantia necesse est aliquid monere.

Sunt autem cause Fidei.

Ἀίτιον, Spiritus sanctus.

Ἐνωσίτιον, Auditio & Meditatio uerbi Dei.

Σύνοψον, Mens & Voluntas humana, renouata & adiuta per Spiritum sanctum, assentiens uerbo Dei luctans cum dubitationibus & diffidentia, & in promissione diuina adquiescens. Vult enim Deus in omnium hominum cordibus fieri hanc regenerationem per Verbum & Spiritum sanctum, in ta dictum, Deus uult omnes homines saluos fieri, quod ad Dei uoluntatem attinet, trahit Deus omnes, quia uult omnes saluos fieri, & non est app

eum respectus personarum. Quod igitur non omnes saluantur: manifestum est culpam non in Deo esse, sed in hominibus, qui Deo trahenti per uerbum non obtemperant.

Causa autem in Deo, quod alijs patefacit Verbum, alijs non patefacit, incognita nobis esse potest. Ignota esse nequaquam potest, ut Augustinus inquit. Singula autem de sua Electione & Salute non ex humane rationis imaginationibus, sed ex solo Verbo iudicent, quod affirmat Deum omnes homines uelle saluos fieri: & Deo gratias agant, quod ipsis patefecit Verbum, & seuerissimè sibi à Deo mandatum esse, sciant, ut uerbo credant, & promissioni uniuersali se quoq; includant.

SEPTIMO. De Perseuerantia, quomodo in tanta nature nostre imbecillitate, & in tantis Diaboli insidijs, usq; ad finem perseuerare possimus, teneant pie mentes hanc consolationem necessariam, gratiam & salutarem, quæ in multis testimonijs diuiniis repetita est, de auxilio Dei reprimentis Diabolum, & de firmitate Electionis.

Iohan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec quisquam rapiet eas de manibus meis, quia ego & Pater unum sumus.

Iohan. 14. Non relinquam uos orphanos, sed ueniam ad uos. Rogabo Patrem & alium Paracletum
c s dabit

dabit uobis Spiritum ueritatis, manentem uobiscum ad omnem aeternitatem.

1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non sinit uos tentari supra uires, sed dat cum tentatione robur, ut possitis sufferre.

Luc. 22. Ego rogavi pro te Petre, ne deficias des tua.

Ioh. 17. Oro non pro eis tantum, sed pro omnibus credituris per uerbum eorum.

Matth. 16. Porta inferorum non preualebit aduersus eam.

His consolationibus confirmati hanc *τὴν ἀσπίδα* *πίστος* Pauli usurpemus. Certus sum, quod nulla creatura possit me abstrahere à dilectione Dei, qui pro me propter Christum complectitur.

OCTAVO. Causa seu meritum reiectionis est contumacia impiorum, qui uolentes Deo uocanti repugnant, et salutem à Deo omnibus oblatam non complectuntur, ut Rom. 18. & Esai. 65. dicitur. *Tota die expandi manus meas ad populum repugnantem mihi & contradicentem.*

Horribilis autem furor & blasphemia est dicere, Deum causam esse contumaciae & damnationis impiorum, cum ipse iureiurando affirmet, se non uelle mortem peccatoris, sed hoc uelle, ut conuertatur & uiuat. Item Osee 12. *Perditio tua est, tantum in me est auxilium tuum. Et firmissimè retinenda est sententia*

tia, Deum nec uelle peccatum, nec impellere uoluntates ad peccandum.

NONO. Quod in Malachia dicitur, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, Id principaliter de u-
triusq; posteritate intelligatur, ut congruat cum di-
cto Christi, Si quis diligit me, sermonem meum ser-
uabit, & Pater meus diliget eum. Nam ex uerisimi-
libus coniecturis consentaneum est Esau conuersum
egisse poenitentiam, & uitae aeternae heredem fa-
ctum esse.

1. Quia reconciliatus est fratri Iacob.
2. Quia cum Iacob fuit socius funeris Isaac.
3. Quia postea non afflixit Iacob.
4. Quia ipsius posteritatem Deus conseruauit.
Semen autem impiorum peribit.

Sed posteros Esau Idumaeos odit Deus, quia ab-
iecerant uerbum Dei, & idolis, iniurijs, Tyrannide
& libidinibus se polluerant.

Econtra Israhelis posteritatem propter uerbi
custodiam diligit, sicut dicitur, Diligo diligen-
tes me.

Quod autem Paulus Rom. 9. haec uerba Prophe-
te urgens addit, Antequam quidquid boni uel mali
fecissent, id intelligatur oppositum esse opinioni
Pharisaicae de merito congrui & condigni.

Dispu-

Disputat enim Paulus causam Electionis esse non merita, non primogenituram aut ullas carnales prerogativas, sed solam DE I misericordiam propter Filium fide apprehensum.

Hæc natiua sententia Pauli, sumpta ex perpetua & dextra collatione omnium membrorum in Pauli scriptis, quæ utilis est ad salutarem conscientie consolationem retineatur, nec Sophisticæ & calumniose singula uerba contra hanc mentem Pauli urgeantur.

IIII. Locus.

*DE VENDITIONE
Primogenituræ.*

Magnum Priuilegium fuit Primogenituræ Ecclesia patrum. Habebant enim ius Sacerdotij & Regni seu gubernationis in familia paterna, ut Genes. 49. dicitur, Ruben primogenitus, prior in Sacerficijs, maior in imperio. Præterea habebant prerogatiuam præ ceteris fratribus in diuisione hereditatis. Deut. 21. Dabit ei de cunctis, quæ habebit, dupplicia, iste est enim principium liberorum eius.